

Letter 367: 13 September 1528, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

The text of the letter is printed in Schiess 1, p. 167 (Ep. 125).

5 Gratiam et pacem. Bonus hic vir nobiscum diutine vixit innocenter et citra nostrae ecclesiae
 gravamen, cui Bucerus abunde testificatur, et cum primis Bedrotus, vir probissimi iudicii. Proinde
 fac, ut vel amice exceptum verbis leves, dum rebus pariter (?) dabitur. Inter anabaptistas invenio
 10 pectora optima et comparata ad veram pietatem, quos tua lenitate gregi pusillo facile redderes, a
 quo temere discesserunt per inscitiam Christi, qua orbis hoc seculo fere laborat. Sunt praeterea
 plurimi non solum erroribus, sed etiam malevolentia adobruti, qui rebus movendis anxie student
 per legem Mosi instaurandam, adversus quos opus est insigni vigilantia intentisque precibus.
 Quemadmodum enim alii negant christianum magistratum esse posse, ita illi dant operam, ut
 15 vulgus gladio praefectis in hoc ducibus occidat Lutheranos, Zuinglianos, papistas, hoc est omnes,
 qui suis seditiosis opinionibus non subscripserint. Habent in ore sententias in speciem pias, Eliae
 spiritum, reditionem ad principia et [alia] id genus, ut mactemus scilicet idololatrias et Gideonis
 gladium arripiamus. O duram sortem nostram, nisi de Dei favore essemus constabiliti! Istiusmodi
 grassatoribus spiritibus me murum obiiciam, qui in caeteris sententiae tuae sum simillimus
 20 prorsusque idem neque innocentes involvam eodem odio. Hoc obiter, tu dispicito prologiis
 honestissimam domum tuam et fratrem vestrum. Zuickium iubeo saluere plures et tuque in
 domino felicissime pergas. Arg. 13 Septembris anno 1528.

V. Capito tuus.

[Address]: Ambrosio Blaurero fratri sibi in Domino observando. Constantiae.